



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 63. Joannis Baptistæ Costagutti Cardinalis decessus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

Patriarchatus Aquileiensis origine & Sæc. XVII.
 Historia de investitura in dignitate Ec- A. C. 1704.
 clesiastica.

§. LXIII.

Joannis Baptistæ Costagutti Cardinalis decessus.

Tertius ex Purpuratis hoc anno de-
 natis erat Joannes Baptista Costaguttus, patria Romanus, qui emenso studiorum curriculo ab Alexandro VII. varias ditionis Pontificiæ urbes regendas suscepit, atque a Clemente IX. Cameræ Apostolicæ Clericus, & demum ab Alexandro VIII. Cardinalis renunciatus est: Mortuo Innocentio XII. Otobonus Cardinalis nil intentatum reliquerat, ut Costaguttum potissimum Cardinalium suffragiis summum Pontificem declarari impetraret: Ferunt, ejus animum in conceptæ dignitatis Pontificiæ recordatione, ac desiderio tam profunde fuisse demersum, ut sese jamjam Pontificem reputans, se Urbanum IX. appellarit, & cum in imagine ejus memoriæ nequidem noctu silentium esset, de consistoriis, de Cardinalium electionibus &c. in somniis sermones habuerit: Postea vero evaporato Pontificii honoris fumo sibi reditus, totum se pietatis exercitiis di-

P 3 cabat,

Sæc. XVII cabat, atque apud PP. Carmelitas
 A. C. 1704. Discalceatos Romæ in Monasterio
 S. Mariæ ad Scallam sibi cellam seligebat, in qua reclusus Quadragesimæ
 aliarumque festivitatum tempore autum
 num & cogitationes ad solum Deum
 referebat: Obiit denique die octava
 Martii anno ætatis suæ sexagesimo
 octavo.

§. LXIV.

*Guilielmi Egonis de Fürstenberg Car-
dinalis fata.*

Vit. Card.
 pag. 40.
Vid. supra
 l. 206. p. 661.
 § 723. §
 l. 210.
 pag. 538.
 § seqq.

Post tot variantis fortunæ ludibria,
 concitatosque motus tandem mor-
 tis imperio quievit Guilielmus Ego-
 nis de Fürstenberg. Hic nunc profanæ,
 nunc sacræ militiæ adscriptus, demum
 exuto sago plurium Ecclesiarum Cano-
 nicatus, præsertim Coloniensem & Ar-
 gentinensem obtinuit: In Gallias profes-
 sus, atque ab Anna Regina Ludov. XIV.
 Matre plurimi habitus, alieno gentis
 suæ Germanicæ genio Germanum exiit.
 Gallumque ore, corde, & opere pro-
 fessus est, ac Maximilianum Henricum
 Coloniensem Electorem & Archiep-
 scopum, cui ab arcanis erat, non mo-
 do ad Gallicas partes pertraxit, sed et-
 iam excluso Leopoldo I. Ferdinandum
 Bavaricæ Electorem ad Cæsaream di-
 gnam